



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 87. Et venisset ad discipulos suos. v. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 87. Et venisset ad discipulos suos. v. 45.

Petrum scilicet & duos filios Zebedaei, quibus in monte Thabor clatitatem suæ majestatis ostenderat, & quos præ cæteris diligebat, nuntiatum, quod ei in oratione acciderit, qualiter Angelus Domini ei apparuerit, fidelissimus Christi ministrator, a patre cælesti missus, ipsum confortatus sit, confortaverit, ostendens passione sua genus humanum esse redimendum, enixè insuper rogans, ut ille maturaret, nec differret, diutius, forte enim ut ipsæ Angelorum quoque ruinæ implerentur, & suum se consensum addidisse, patrique voluntati submissæ. Talia inquam communicaturus venit, modo ipsi non dormirent & incapaces forent.

Gratias ago tibi ex toto corde meo, bonitas effulssima, abyssus infinitæ misericordiæ, qui tam in dignis servis tuis omne bonum ex te ipso conferre, qui tam indigno peccatori fructum passionis & mortis tuæ cum Corpore & Sanguine tuo sanctissimo, tam amanter applicare voluisti, gratias ago, de tanto & tam singulari beneficio. Gratias ago pro charitate illa inæstimabili, qua id mihi contulisti, & precor eandem bonitatem tuam, ut tua in me dona, augeas ad gloriam tuam, & conserves, ut in me nihil deinceps tibi displiceat, sed que ad honorem tuum sunt, & proximorum salutem, ea strenue, & ex puro ferventique amore tuo operari possim, tantaque sollicitudine ac vigilantia reliquo toto vitæ meæ tempore in tuis occuper obsequiis, quanta me hactenus in sequendis & amplectendis mundi hujus vanitatibus occupavi.

§. 88. Invenit eos dormientes praetristitia. v. 45.

Vere tunc impleri cœpit verbum Prophetæ: *Torcular calcavi solus &c.* & notatu dignum est, carpi dormientes non à crapula, quæ à cena Christi parca, nulla erat, sed à tristitia, & à quadam necessitate, nox enim jam erat, & quideam profunda. Quid dicturus fuisset, si eos invenisset, vino somnoque sepulchorum quid dicturus in die judicii, qui Ecclesiæ nocturnis horis præsentes dormitamus mero hesterno graves, & cæteris fidelibus in templo alacriter, ac vi tota canentibus, ronchos ducimus!

O Amantissime Iesu, ut operibus tuis, quæ perfectionsimma sunt, aliquantulum insistere queam, concede obsecro, ut amor proximi in omnibus apud me prævaleat, ita ut salute in eius omnibus meis temporalibus anteponam semper negotiis, tuo edocet usus exemplo, qui ut Apostolos tuos commoneres, ut vigilarent & sibi prospererent in proximè hoc imminenter periculo, eos adiisti, reflecta Angeli & tui patris consolatione; ita ora.